

Gustus igitur natura est impertita iudicium, ea loca in quibus erat futurum parricidium, muneri sui dote priuando, vt ex innocenti soli quadam damnatione ostenderet futura supplicia noxiora. Propter scelus igitur hominum & ipsa elemeta damnantur. Denique David motibus in quibus Ionatas cum patre intereptus est, perpetue poenae
 4. Reg. 1. sterilitatis optavit dicens: Montes qui estis in Gelboe, neque ros neque pluuia cadat super vos, montes mortis.

Qua ratione interrogauerit deus Cain ubi esset frater suus, & de ipsius redargutione atque condemnatione, cum moralis intellectus explanatione. Cap. IX.

Nunc consideremus qua ratione interrogauit deus Cain ubi esset frater suus, quasi nesciret occisum. Sed quod ad scientiam dei spectat, negantem arguit, & inficianti quasi scias respondit: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me. Quod autem ad rationem profundam attinet, peccantes admodum ad poenitentiam. Confessio enim, poenarum compendium est. Inde in iudicium secularibus impositi equuleo torquentur negantes, & quaedam tamen iudicis miseratio confitentis. Est quaedam in peccatis verecundia, & poenitentiam deus, vult de se sperari indulgentiam, vult demonstrare tua confessione quod non sit autor malitiae.

Ham quod peccatum suum ad quandam referunt, vt gentiles asserunt, decreti aut operis sui necessitate, diuina arguere videntur, quasi ipsorum vis causa peccati sit. Qui enim necessitate aliqua coactus occidit, quasi inuitus occidit. Ea vero quae a nobis sunt, excusationem non habent: quae autem praeter nos sunt, excusabilia sunt. Sed quanto grauius peccato ipso, ad deum referre quod feceris, & reatus tui inuidiam transfundere in autorem non criminis, sed innocentiae? Perpende autem parricidae responsionem. Nescio inquit: Nunquid custos fratris mei ego sum? Etsi cotumaciam prodat hic sermo, sonat tamen quia si bonum fratrem considerasset, custos debuit esse pietatis. Quae enim magis quam fratre seruare debuerat? Sed quomodo germanitatis seruaret officium, qui necessitudinis non agnouisset affectum? Aut quomodo fieri posset vt naturae obedientiam desereret, qui deo reverentiam non exhiberet? Negat primum quasi apud ignorantem. Reus autem fraternae munus custodire, quasi exors naturae. Declinat iudicem quasi liber arbitrii. Quid miraris si pietatem non agnouit, qui non agnouit autorem? Et ideo docentis hac serie scripturarum fidem esse radicem virtutum omnium. Vnde & Apostolus

1. Cor. 3. ait: Quia fundamentum nostrum Iesus Christus est: & quicquid supra hoc fundamentum aedificaueris, hoc solum ad operis tui fructum, & ad virtutis proficere mercedem. Congruenter igitur respondit dominus tam impudenter negantem dicens: Vox sanguinis fratris tui ad me clamat. Hoc est, cur nescis ubi est frater tuus? Soli eratis cum duobus parentibus, inter paucos frater te latere non debuit. An quia parentes tui accusatores esse non possunt? Nolo enim vt ea necessitudo quae est autor salutis, fiat autor periculi. In te solo leges suas natura amiserit. Ideo ergo putas crimen latere, quia parentes accusare non debent? Sed eo maior est condemnatio tua. Nam si chara necessitudinis norma accusare non debent, multo magis non debent occidere. Sed si me testem abnuis, & refugis arbitrum, vox sanguinis fratris tui testis est, quae ad me clamat. Illa te maiore auctoritate arguit quam si frater viueret. Soli eratis: Quis enim potuit alter occidere? Si accusas parentes, parricidam probas. Potuit frater occidere, qui non parcat parentibus. Potuit parricida esse, qui de parricidis se ortu phare desiderat. Et bene ait: Vox sanguinis fratris tui clamat, non frater clamat. Hoc innocentia & gratia germanitatis etiam in ipsa morte seruatur. Non accusat fra-

ter, ne videatur parricida. Non accusat vox ipsius, non anima eius, sed vox sanguinis accusat, quae ipse fudisti. Tuum te ergo facinus, non frater accusat. Simul queres la criminosa admittitur. Non potest de alieno testimonio queri, qui crimine proprio facinore confitetur. Minor est sermo quam factum. Est tamen etiam terra testis, quae cepit sanguinem. Et bene ait: Vox sanguinis fratris tui clamat de terra. Non dixit, de fratris clamat corpore, sed de terra clamat. Et si frater parcat, terra non parcat. Si frater tacet, terra condemat. Ipsa est in te & testis, & iudex. Testis acrior, quae adhuc parricidii tui sanguine madet. Iudex asperior, quae tanto scelere coinquinata est, vt aperiret os suum, et reciperet sanguinem fratris tui de manu tua. Et illa quidem aperuit os suum, quasi exceptura de fratris verba pietatis, nihil timens cum fratres videret, quae seruet ius germanitatis amoris incituum esse, non odium. Nam quomodo poterat parricidii suspicere, quae adhuc non viderat homicidium? Sed tu effudisti sanguinem, cuius dolens ipsa contagiū, Non augebit, inquit, virtutem suam dare tibi. Quae innocens vltio, vt quae tam grauius violata fuerit, satis habes non prodesse, non querat nocere. Non mediocre etiam dogma quod ait: Vox sanguinis fratris tui ad me clamat: quia deus iustus suos audit etiam mortuos, quonia deo viuunt. Et merito pro viuentibus habentur, quia etiam si corporis gustauerint mortem, vitam tamen in corpore capiant, & illuminantur suorum splendore meritorum, luce quoque fruuntur aeterna. Iustorum ergo audit et sanguinem, auertit se autem a peccatis impiorum, quonia etiam si videntur viuere, miseros tamen sunt omnibus mortuis, carne suam sicut tumulum circumferentes, cui infelicem infoderunt animam suam. Quid enim aliud est quam sepulta quae intra humum voluitur, & terrenae auaritia cupiditatis caeterisque vitis includitur, vt gratiae coelestis auram spirare non possit? Huiusmodi peccator a terra maledictus est, quae est infima & postrema pars mundi. Superius vtiq; caeli, & quae in caelo sunt, Sol, Luna, & stelle, throni, dominationes, principatus, & potestates, Cherubim & Seraphim. Non est ergo dubium quod cum & superiora damnauerint quae inferiora damnauerunt. Nam quomodo absoluitur pure illi caelestis sententiae, quae nec terrae potuerunt absolueret? Et ideo gemens & tremens iubetur esse super terram. Euidens generalis ratio, quia omni improbo mala assunt, & affutura sunt. Quae assunt, tristitia operatur: quae futura, formidinem. Sed improbi plus praesentia quam futura sollicitant. Vnde & Cain dixit ad deum: Maior causa mea est. Si derelinques me, hodie a facie tua abscondam me. Nihil enim grauius quam errorem a deo deseri, vt se reuocare non possit. Mors peccatoris sine peccati affectu, vita autem diuino gubernaculo destituta praecipitatur, & in grauiora prolabitur, vt si gregem pastor relinquat, incurrent bestiae: ita cum deus deserit hominem, ingruit diabolus. Graue est praesertim in impietibus, non habere reuerentiam. Serpit malitia, vltius augetur, vbi medicina desierit. Abscondit se autem qui velare vult culpam, & tegere peccatum, qui enim male agit, odit lucem, & amat tenebras suorum & latibula delictorum. Iustus autem non abscondere a domino deo suo, sed ipse magis se offerre confuevit, dicens: Ecce sum ego, qui non habet criminosa conscientiam quam timeat deprehendi. Merito ergo se abscondit male conscius, & ait: Omnis qui inuenierit me, occidet. Angustiae mentis homo praesentem mortem ueretur, perpetuam negligit, & diuinum iudicium non reformidat. Interitum solum corporis deprecatur. Sed a quo timebat occidi qui solos parentes habebat in terris? Potuit quidem & incursum bestiarum timere, qui legis diuinam iura violauerat, nec praesumere de subiectis animalibus caeteris, qui hominem docuerat occidi. Potuit & parentes parricidas timere, qui docuerat parricidium posse committi. Potuerunt enim & parentes de filio discere, quod didicerunt posteri de parente.

Ioan. 3.